



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Difficultatis 2. Continuatur idem examen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

RESPONDETUR. Quod attinet ad discursum, ille probat quod intellectivum debeat esse immateriale, sed non probat conversam, omne scilicet immateriale esse intellectivum: Tota enim vis medii termini est in hoc: Quod oporteat illud, in quo talis notitia suscipitur esse immateriale, sed non probatur hoc ipso, quia immateriale est, jam debere esse tale, in quo alia, secundum suas perfectiones suscipiantur. Deinde concedatur providisse Deum alterum hunc perfectionis modum, sed nego illum connecti essentialiter cum immateriali. Quod attinet ad formam, si minor sit universalis, falsa est: Si autem sit in Darii vera erit, sed non concludet intentum; nam debet inferre omne materiale intellectivum. Illa propositio quod non coarctatur per materiam facile potest transire in alia omnia, si ly facile potest, supponit pro non impeditur vera est propositio: Quia nihil titulo præciso immaterialitatis, ab intelligendo impeditur, sicut nec titulo præciso animalis: Si autem ly facile potest, supponit pro exigit, essentialiter, falsa est propositio nec ulterius probatur. Addo, de facto quidem ea, quæ recedunt à materia, suntque substantia, intelligunt: Sed queritur: An hoc sequatur essentialiter; summaque nobilitas substantiæ immaterialis, exigit nobilissimam, h. e. immaterialem actionem, sed negatur, quod exigit intellectionem.

Punctum Difficultatis 2.

Continuatur idem examen.

Perez. disp. 3. de scientia Dei proposuit etiam alias Implicantias.

PRIMA IMPLICANTIA est desumpta ex Suarez. Non datur de facto talis substantia, ergo non est possibilis: Neque enim est ratio, cur de facto non esset datus hic gradus. Prob. Conf. Quia anima rationalis deberet tali substantiæ esse melior; jam autem auctor naturæ, incipiens à nihilo ita res ordinat, ut ab infima ad supremam procedat continuè sine interruptione eminentiæ, & subementiæ, ita ut nullus graduum locus sit vacuus. Et sicut inter corpora cœlestia, non datur vacuum sed contignatio; aliàs cœlis frustra dedisset Deus virtutem operativam uniformiter difformiter; ita etiam gradus entium substantialium, debent non esse interrupti; alioquin Deus frustra dedisset singulis naturis eminentialem virtutem, manifestandi suam eminentiam, potuissetque aliàs non producere infimam naturam, quod est absurdum: Quia natura proxima infimæ possibilis, adeoque eminentior, si haberet intellectum, doleat de eo quod facta sit infima, & quasi cauda mundi, cum posset habere locum honoratiorem. Eadem autem ratio est, cur non sit

omissa aliqua natura intermedia proxima infima: Doleret enim quod facta sit proxima infima, neque posset ostendere suos gradus eminentiæ.

Vis dictæ Conseq. ad hoc revocatur; si natura illa esset possibilis & non est factum miraculum impediens ejus existentiam, de facto existit; sed non est factum; quia non probatur factum: Miraculum autem quod non probatur debet negari, aliàs possemus dicere, aquam naturaliter posse calefacere, sed esse impeditam.

Addit ulterius rationem, cur non detur suprema creatura quamvis detur infima: Quia non est malum Angelo supremo, quod de facto sit supremus: Homo autem non potuit naturaliter fieri suprema creatura: Quia cætera sublunaria, cœlesti indigent motu: Homo autem non potest movere cœlum.

RESPONDETUR. Negando Conf. Ratio cur non detur de facto creatura immaterialis non intellectiva est, placitum Creatoris, sicut & in infinitis aliis creaturarum speciebus. Quod attinet ad Prosopopœiam inductam, debuisse vi illius etiam perfectissimam producere creaturam: Quia potuisset proxima suprema, quæ nunc est dicere, hæc quæ ante me est dominatur mihi, & illi nullus, illaque de se dicitur sum maxima, & tamen potest illa inferior esse, habereque se superiorem. Durum autem est, si præcellant parum nobiliores, & ipsi non præcedantur, suntque inter cæcos, monoculus Rex. Quod si dicas multitudinem dominantium esse quid malum, tunc infima creatura peteret ne tam multæ creentur, malumque illi esset tot aliis subdi. Deinde si datur de facto infima creatura, ergo non datur minus Dei participativum: Jam autem sicut est Deus chaos quoddam perfectionis, ita creatura est chaos defectibilitatis, ergo potest minus & minus deficere à Deo: imò ex quacunque demonstratione, implicabit dari creaturam perfectissimam, ex eadem ferme proportionaliter inferetur, implicare imperfectissimam, & sicut per negantes infinitum implicat linea finita ab una parte, & ex alia parte infinita, sic etiam implicabit finitudo in imperfectione participandi Deitatem imperfectius, cum infinitudine, participandi eam perfectius. Insuper illud etiam non demonstratur, quod homo non sit, nec posset esse supremus: Quia neque hoc demonstrari potest, de facto ab intelligentiis, cœlos moveri, & quod non nisi ab illis moveri possint: Et licet unaquæque res sit manifestativa in actu primo suæ perfectionis, hæc enim stat in ipsa connexionione prædicatorum essentialium, sed non est manifestativa in actu secundo: Quia ad hanc manifestationem requiruntur termini alii, cum quibus debet fieri commensuratio, quos omnes, non est necesse existere.

2. IMPLI-

1. IMPLICANTIA, est. Quam multis præsuppositis sicidem format, si esset possibilis Spiritus non intellectivus, vel esset informativus materiæ, vel non esset: Si primum, exigeretur à materiâ, proindeque aut actu existeret, aut haberet causas naturales suæ existentie: frustra enim daretur appetitus in materiâ ad illam formam, cuius nulla causa daretur. Jam autem nullæ causæ dantur, talis Spiritus productivæ. Si autem non esset informativus materiæ ille Spiritus, ergo distaret magis ab infimo corpore quam anima rationalis, & homo: Entia enim penitus abstracta à materiâ, vix cum corporalibus habere videntur similitudinem, ergo deberet esse inæqualis in perfectione cum corpore illa substantia spiritualis: Ergo vel per excessum vel per defectum essent inæquales: sed substantia illa spiritualis, non esset inæqualis corpori per defectum; infimum enim corpus corpori plus quam duplo exceditur ab homine: quia alius homo, non plus valeret, quam terra: Ergo cum excedat hominem illa substantia spiritualis, & homo excedat corpus, non poterit illud excellivum hominis esse inferius corpore. Si autem illa substantia spiritualis est inæqualis corpori per excessum, ergo corpus ab illo Spiritu non intellectivo plus exceditur, quam excedatur ab homine intellectivo: neque enim dantur species dissimiles, æquales in perfectione; melior ergo erit illa substantia quam homo; quod est evidenter absurdum, nam substantiale intellectivum evidenter est melius substantiale non intellectivo.

RESPONDERI potest. Illum Spiritum fore informativum materiæ, non tamen sequitur vel illum dari de facto, vel causas illius secundas: sufficit enim, quod Deus tanquam Auctor naturæ possit illum producere, ut producit Animam rationalem ipse solus: posset dici, quod ille Spiritus sit informativus materiæ alius speciei.

RESPONDERI etiam posset, illum Spiritum non fore informativum materiæ, sed fore substantiam spirituales, non intellectivam, possetque dici, quod distaret magis à corpore præ nostra anima, per negationem ordinationis ad materiam, quam dicit nostra anima, sed non distaret magis per inclusionem majoris in omnibus perfectionis.

Immerito etiam supponit quod non possint dari duæ species æquales, de quo etiam infra. Deinde si inter dissimilia specie, non potest evidenter pro semper colligi inæqualitas substantialis, nec etiam æqualitas, ergo non est major ratio cur potius æqualitas quam inæqualitas adstrui debeat; sicut si non apparet in balance inæqualitas, non arguimus inæqualitatem. Quod autem dicitur deo non adverti inæqualitatem inter species ne appareat evidenter impossibilitas mysterii Trinitatis, in qua distincta specie paternitas à filiatione, habet tamen æqualitatem. Id

arbitrarium est. Unde enim scitur de hac intentione Dei? Rursus ne appareret impossibilitas mysterii Trinitatis, noluit Deus elucere in creatura signum distinctionis virtualis intrinsicæ, ergo neque erat necesse occultari illam in æqualitatem, ne appareret evidenter impossibilitas mysterii. Addo non implicat Contradictionem ex ratione generica ut distincta specie sint æqualia, aliàs hoc nec in Divinis salvari posset: nec id implicat ex ratione creaturæ; quia non implicat ut unum excedat aliud in uno genere, & in alio excedatur, sicque se sibi coæquant, & sicut esset mera divinatio dicere quod color cœruleus non sit æq; perfectus ac viridis; ita divinando dicitur, distinctas species substantiales, non posse esse æquales: & quamvis æqualitas sit unitas in tanta quantitate perfectionis, hæc tamen unitas, non debet esse per continentiam identitatis, sed sufficit ut sit per continentiam æquivalentiæ. Quando autem querit: quæ sit ratio, cur eadem specie sint æqualia, facile est respondere quia idem semper est sibi æquale, non possumus autem dicere quod distincta specie sint æqualia: quia conditionem prædicatorum non attingimus. Et sicut si supra eandem basin ducantur trianguli possunt esse in ratione angulorum æquales, non in ratione materiali, casu quo lineæ unius sint aurum, alius plumbum, eritque ibi inæqualitas cum æqualitate; ita posset esse in substantiis.

Eundem Medium Terminum sic proponit Esparza Q. II. art. I. & supponit in primis quod ea quæ sunt invicem dissimilia, sint invicem inæqualia. Supponit rursus, quod substantia spiritualis sit magis dissimilis omni substantiæ materiali, quam substantia materialis, alicui materiali, & substantia intellectualis est magis dissimilis cuilibet substantiæ non intellectuali, quam sit dissimilis substantiæ non intellectualis, substantiæ non intellectuali. His positis sic arguit; Si possibilis esset substantia ex una parte immaterialis, ex alia parte non intellectualis, possibile esset, ut eadem substantia distaret magis, simulque distaret minus, ab uno eodemque termino: quæ enim esset immaterialis, distaret magis à brutis quam bruta inter se; quæ verò non esset intellectualis, distaret minus ab iisdem rebus non sensitivis quam bruta inter se, nam bruta essent noscitiva, illa substantia non esset noscitiva, utpote non intellectiva. Et aliàs supponitur quod non posset illa substantia utpote spiritualis sensitivè noscere: Sed impossibile est unam eandemque substantiam magis & minus distare ab eodem termino. Ergo.

RESPONDETUR. Non implicare Contradictionem, unam eandemque substantiam, magis & minus differre, ratione diversorum prædicatorum. Quod ipsum probatur in primis Inductione in aliis entibus: nam v.g. si comparatur

intellectio spiritualis & brutum ad Deum, magis accedit ad Deum brutum, quod est substantia quam intellectio quæ est accidens, & nihilominus intellectio spiritualis, sub formalitate spiritualis, & sub formalitate actus, magis accedit ad Deum. Rursus si comparentur inter se visio ocularis, & visio spiritualis, in ratione expressionis ejusdem objecti, magis inter se convenient, quam intellectio v. g. nigri, comparata ad intellectiorem albi, & nihilominus illæ duæ intellectiões in ratione spiritualitatis, & in ratione intellectiões, magis inter se convenient. In Moralibus idem evenit: nam argentum æstimabilitate magis accedit ad aurum, & nihilominus meliores sunt plures solidi ærei accedentes ad unum aureum pretio, quam grossus aliquis argenteus. Hoc ipsum ulterius in hoc principio fundatur: Quia ne unum distet magis minusve, debet id esse, ne sequatur contradictio, quæ non potest sequi, nisi ratione ejusdem de eodem, si autem sit accessus & recessus ratione diversorum prædicatorum, non erit contradictio de eodem, ratione ejusdem. Et hoc etiam modo solvi debent ea, quæ adducit art. 2.

3. IMPLICANTIA ejusdem Esparza est. Quæcunque sunt & esse possunt in universo, invicem sibi devincta sunt, per mutuas utilitates: hoc ipso enim redundaret, & perperam existeret, essetque mittendum foras, ut infatuatum sal. Substantia autem spiritualis, quæ non foret intellectualis, foret prorsus inutilis universo: utpote nulla vitali aut transeuntia actione prædita: non prædita quidem vitali: quia seclusa spirituali intellectiõe, non habet quod agat, utpote nec sensitiva, nec vegetativa. Transeuntes etiam actiones non haberet: Nam nec aliud sibi simile, posset educere, nec generare, nec producere aliquid materiale: quia materialia non continentur efficienter in spiritualibus.

RESPONDETUR. Lapis nullam habet actionem vitalem, nec etiam transeuntem: nec enim unus generat alium: quod si sufficiat emanare lapidem ex se suas passiones, idem dici poterit de illa substantia immateriali. Possent etiam tribui illi substantiæ actiones transeuntes, productioque eorum materialium, quæ pullulare possunt ex applicatione activorum ad passiva.

Quid si aliquis ita discurreret, diceretque, quod illa substantia, haberet notitias immateriales non tamen intellectiões, sicque id illustraret; Ut scilicet coincident operatio spiritualis cum immateriali: nullum enim fundamentum est hæc duo separandi, cum nullibi reperiatur immateriale absque spirituali, ita tamen ut illud immateriale distinguatur ab intellectivo: quia de facto reperitur in accidentibus immaterialitas sine intellectivo, ita ut illa notitia sit quidem immaterialis, non tamen intellectio: quæ duo distingui in primis ex eo colligitur; Pone sensationes, quæ habeant partes & dicant exi-

gentiam molis: nunquidne si conciperetur illa sensatio ocularisque visio sine ulla mole, deberet jam intelligi per locum intrinsecum, quod illa notitia sit jam intellectio? Apparet ergo hæc distingui, quæ duo non apparet, cur pro statu nonnisi considerationis distingui possint, & non pro statu reali. Rursus probatur ordinariè ex hoc immaterialitas & intellectivitas animæ, quia attingit semota cæteroqui à sensibus. Pone ergo illam substantiam nihil cognituram semotum cæteroqui à sensibus; Si tenet fundamentum allatum, sequitur, quod illa substantia, quæ non nosceret, alia, quam cæteroqui sensibus subiecta, non sit futura intellectiva. Sed cur insuper non poterit noscere illa nonnisi objecta, cognitione tamen immateriali?

Ex his apparet, quod cum difficultate posita Implicantia substantiæ spiritualis non intellectivæ adferatur, absolutè tamen.

DICENDUM ERIT: *Implicare talem substantiam sed per locum probationis negativum.*

RATIO. Tum quia, ex una parte communis sententia oppositum docet, ex alia parte posset sic rejici onus ostendendæ implicantiæ. Non implicat contradictionem, ut sit essentialis connexio substantiæ immaterialis cum intellectu, possessioque stat pro communi sententia: Si autem est essentialis dicta connexio, implicabit oppositum. Tum, quia nisi ponatur hæc regula, ut de possibilibus discurremus conformiter ad ea, quæ videmus & scimus, dabitur ansa infinitarum fictionum, diceturque possibile esse rugibile spirituale, distinctum à præsentī, & cætera similia. Quia verò præsentis substantiæ immateriales sunt intellectivæ, etiam de possibilibus idem erit dicendum.

QVÆSTIO III.

De Incorrumpibilitate Angelorum.

PRÆMITTO 1. *Non esse in hoc difficultatem, utrum Angeli de facto sint incorruptibiles. e. non annihilandi, nec destituti: hoc enim est ex Script. Dicuntur enim poenæ dæmonum fore æternæ & Beatitudo de Angelis. Ep. Judæ v. 6. Matth. 18. v. 10. Luc. 20. v. 36.*

Suar. & Arriaga colligunt id ex eo quia in Lateran. definitur, animam esse immortalem, ad quod deservit ep. Sophronii recitata in 6. Synodo & approbata Act. 13. ubi dicitur; Si hominum animæ permanent incorruptæ sic Angeli immortales perseverant. Idem docuit Dion. de Div. Nom. c. 4. Athan. L. de Com. Essen. Div. Basil. in princ. Pf. 44. & Aug. L. 12. de Civit. Dei c. 15, Angelos vocat creaturas immortales.

PRÆMITTO 2. *Non esse in hoc difficultatem: An Angeli sint incorruptibiles, prout incorruptibile opponitur corruptibili, sumpto pro composito ex materia*